

№. 528, 38.

B. m.

IIa
74

DE
INITIIS INCREMENTIS ET
STATV HODIERNO BIBLIOTHECÆ
SCHOLASTICÆ IN GYMNASIO BEROLINENSI
DEDICATÆ SCHEDIVM PRÆMITTIT

ET AD
ACTVM ORATORIVM
CELEBRANDI NATALIS
CLXIV.

GYMNASII ILLIVS

A. D. DECEMBR. MDCCXXXVIII.
AB HORA POST OCTAVAM DIMIDIA
INSTITVENDVM

*PATRONOS MÆCENATES FAVTO.
RES ET AMICOS LITTERARVM QVOSLIBET
DECENTER INVITAT*

MART. GEORGIVS CHRISTGAVIVS
ANSPACENSIS.



BEROLINI,
LITERIS RUDIGERIANIS



IN
LITIVIS INCORPORATIONIS ET
STATI HOMINIS BIRKHORNE
3000000000000000000000
BIRKHORNE BIRKHORNE

ET AD
ACTIVITATEM ORATORIAM
GERTFRIEDRICHI
GLXIV

GYMNASIUM
A. D. 1800
A. M. 1800
LITVONIA

PATRONOS INTERVENIENS PAVTO
RES IN ANNO 1800
LITVONIA
MART. GROENINGE CHRISTIANVS
LITVONIA

A. D. 1800
LITVONIA





R

raclare de scholis mereri publicis, quicumque illis de idoneo librorum apparatu prospiciunt, si quis exquisitis rationibus confirmare & oratione vincere cupiat, nã eum ego litteris & otio abuti suo existimem. (*) Idem certe & civitati comeatum providere, & præsidio firmare castellum hosti obnoxium, operose docebit. Quis enim tam desertus ab omni ratione est, qui non per se ipse intelligat, in regum palatiis, urbium basilicis, curiarum porticibus, in templis, prætoriis, balneis, instar aulaeorum & stragulae vestis

(*) Inter varia commoda, quæ Bibliothecas in scholis publicas commitantur, non est exigua aut adspernanda utilitas, quam ipsi alumni ejus scholæ inde percipere & queunt & debent. Quemadmodum enim notitia optimorum in quovis genere librorum in propinqua parte doctrinæ ponenda est: ita etiam adolescentes, in solida eruditionis adyta se penetraturi, id sibi negotii in primis datum esse putent, ut & notas excellentium Scriptorum generatim teneant, & quibus dotibus eminentissimi quique præsent, habeant in promptu. Compendiaria sane hæc via ad decus est. Insanis sæpe sumptibus, poenitentiaque fera, quam male emti libri non raro important, præstruit hæc notitia. Tempori, cujus vna avaritia laudi est, quodque inutilium scriptorum lectioni impensum pessime

vestis, ad ostentationem magis, quam ad vsum comparatæ, haberi Bibliothecas, in scholis vero citra summum rei communis detrimentum desiderari non posse? Hinc nullo non tempore inuen-

perit, ita consulitur. Et ne enumerem singula, immunes nos præstat hæc cognitio a risu, quem emunctioribus sæpe imperitorum ineptiæ debent. Gravem enim subinde vindictam de contemptoribus suis sumere solet ea, quam commendamus, scientia. Intactis reliquis, vnam rem tacere non possum. Sannas interdum ipsorum tironum incurrunt, qui cum propter rem angustam ad alienas opes confugere necesse habent, ad eos scriptores adhærescunt, qui, lippis & tonsoribus noti, turpe furtum in vulgus proferunt. Abstineo exemplis, quæ in vicino sunt. Eadem enim fortasse & aliis, fortasse & alia succurrunt. Nescio quis cum oratione aliqua demereri patronum vellet, non dubitavit WALCHII *Diatriben Philosophicam de litteris humanioribus*, Hist. crit. lat. linguæ sub- junctam, ad verbum describere, & typis recoctam pro opiparo ob- sonio venditare. Sæpius me etiam fœceri illius misertum est, cui, nescio quo dicam fato, datum esse videtur, vt quoties ignauum fuci genus prædatum eunt, toties in eius fauos fere inuolent. Quid? quod fuit nuper, qui viuentis videntisque viri docti libellum, operarum vix manibus elapsum, in formam disputationis academicæ repente conuersum, ederet pro suo. Vnde vero turpitudine illa, si non a supina librariæ rei ignoratione? Quam ob rem nihil optabilius accidere Gymnasio potest, quam si exquisitus librorum thesaurus ciuibus illius semel iterumque per singulas hebdomadas recluditur, iisque, qui bona fide litare musis cogitant, adeundi & cogno- scendi eius datur copia. Ita enim prius de iusto librorum pretio instruuntur, quam vel maioribus rebus impliciti vacare talibus de- liciis litterariis, ornamento semper futuris, non possunt; vel in exteris oras delati, infidiosissimi hominum generis, librariorum fraudibus latus aperiunt. Hi illam etiam deuitabunt notam, quam incurrunt, qui instructissimas ingressi Bibliothecas, vbi vetustissi- morum vel MStorum vel impressorum codicum, eorumque rarissi- morum, insolita multitudo est, aut in voluminosis operibus, aut li- gaturarum nitore, aut rerum aliarum ornatus gratia repositarum, oculos mentemque suspendunt, sine fructu & interioris litteraturæ profectu discedentes.

inuenti sunt cordati principes ac magistratus, qui nunc scholas recens erectas, publicoque elocatas, insigni librorum dote instruxerunt, nunc destitutas olim tali firmamento, aut injuria temporum spoliatas, munifice donarunt. Quod si minus hæc res curæ fuit, aut esse potuit, scholarum quarumcunque auctoribus ac dominis, non defuerunt sæpe magistri, aut extra pœneria ludorum constituti viri, alta quadam mente præditi, quorum largitionibus detracta est musis inopia, suusque honor & dignitas conciliata. Ego iam de aliis securus, Berolinensis Gymnasii hoc in genere felicitatem tacitus hoc die præterire nullo modo possum. Huic enim & ipsi Bibliotheca obtigit (*). Equidem tempora, in quæ natales lycei huius inciderunt, (***) non videntur passa fuisse, vt statim, ac spirare cœpit, tali aliquo munere locupletaretur, sed eam laudem nostro imputari ævo fata voluerunt. Superiore enim quidem iam sæculo GOTTFREDO WEBERO primum, deinde & SAM. RODIGASTO,

Recto-

(*) Cum magnis priuatorum etiam hominum Bibliothecis, quæ sæpe multæ in hac ciuitate sunt, si comparare instituiam hæc nostræ primordia, demens sim. Nulla autem idcirco eam dignam esse commemoratione, quod necdum efferre caput inter meliores audeat, non video, qua quis argumentatione vincere possit. Interim tamen tenuitas illi obstitisse videtur, quo minus a Viro M. R. MARTINO DITERICH, suo olim curatore solertissimo, qui Gymnasii nostri historiam luculentam condidit, explicatæ descriptæque fuerit exposita. Fecit autem ejus iam multo ante mentionem CHRIST. FALSTERUS in Sermone Panegyrico, quem *de variarum gentium Bibliothecis Scholasticis* Flensburgi 1720. edidit. quem locum hic repeterem, nisi longiusculus esset, & res ipsa in hac nostra commentatione omnis contineretur.

(**) De originibus scholæ Berolinensis *oratio valedictoria* SEBAST. GOTTFR. STARCKII publicata est A. 1705. Vtrum IO. HENR. STUSSIUS, illustris Gothani Gymnasii Rector meritissimus, qui inter Scholas celeberrimos ab initio Reformationis Euangel. in cœnobia introductas acturum de Berolinensi, publice recepit, operæ fecerit pretium, iudicent, quibus legere eius scriptum contigit.

Reſtoribus, diſciplinæ correctioris laude & docendi dexteritate etiamnum celebrandis, hac de re in mentem venit, illique per ſe nihil curæ & contentionis reliqui fecerunt, vt neglectam ad id temporis ſpartam ornarent, & de colligenda bibliotheca ſcholastica cogitatio ſuſciperetur. (*) Sed cum illis propria tantummodo quadra viuendum eſſet, neque alienis opibus generoſa inceptio ſubleuaretur, profecere hæcenus, vt egregiam optimo cuique voluntatem declararent; vt ſibi & aliorum exſpectationi ſatiſfacerent, conſequi non potuere. Secutum eſt incendium illud, quod ad perniciem totius Gymnaſii pertinere eſt viſum. Sed, Deo vota honorum incredibilem in modum fortunante, ſecus res cecidit. Sordes enim & ſitum ex vetuſtate ædium prægrauem

(*) Ne cuiuſpiam beneficium extenuare aut obliſſerare Euergetarum memoriam ingrati velle videamur, non poſſumus non profiteri, iam tum præclaram aliquam viam fuiſſe initam, ſuſceptum de Bibliotheca conſilium ſulciendi. Primo quidem inſtituti ratio vniuerſis per civitates has litterarum fautoribus ſignificata & de meliore commendata eſt, vt, quorum ita ferebat erga nos ſtudium, in partem quamcunque beneficii venire non dedignarentur. Neque tunc fruſtra fuimus. Non infructuoſa enim tantummodo benevolentia inchoatum opus profecuti ſunt, quod plerique in talibus cœptis faciunt omnes, ſed prouehere publicum decus & piam iuare cauſam multi allaborarunt. Eſt in manibus index collationum fautorumque, vnde conſtat, Viros ſumme plurimumque Reuerendos, qui tum ſacra curabant, primas ferme ſibi huius laudis partes depopoliſſe, ceteriſque exemplum liberalitatis præbuiſſe, quod ſequenter. His ſuccenturiati ſunt collegæ Gymnaſii, qui ſinguli e penu priuata ſcholæ ſuæ promotum iuere gloriam, & ad exornandam hanc Pandoram non ſigillaria, & vix titiuitio dignos libros, ſed calata ſæpe nouem mulis opera, conferebant. Quid? quod alumnos etiam ardor magiſtrorum ille inceſſit, qui congeſtis minutis ſummulis ſuppetias tulerunt naſcenti Bibliothecæ, vnde plutei & ſcrinia ſeruandis donis conſierent. Hac tamen feſtinatione promotum longius non eſt, quam vt poſt annum quadrageſimum tertium, ex quo cœptum erat, numerus librorum cum annis æquaretur.

grauem hausere illæ deterferuntque flammaram vndæ, quæ non multo post lautiores longe, & ad cultum commodiores, emerferunt. Scilicet, præter alia, locus etiam ante deflagrationem illam deficiebat, vbi librorum comparandorum foruli tuto reponerentur. Nunc, multiplicatis post calamitatem amplificatisque contignationibus, conclauia plura describi posse videbantur, quam inhabitantium collegarum vsus deposcebat. Hic vir per illustris, IO. CHRIST. DE TIEFFENBACH, S. R. M. Consiliarius intimus, rel. quod diu jam parturiuit, consilium de condenda & fundanda Bibliotheca Scholastica prodidit, & cum iis, quorum intererat, communicauit. Ex his cum vir prudentia & grauitate insigni, CHRIST. FRID. BODENBURGIUS, Rector, quid ageretur, rescit, pro ea fide & cura, qua semper pro commissæ sibi scholæ commodis excubuit, animis, dum calerent, vtendum ratus, ab amplissimo ciuitatum regiarum Senatu, cuius in clientela ad hunc diem bellissime acquieuit Gymnasium, petiit, vt locus in ædibus de integro exstructis Bibliothecæ nouæ adsignaretur. Quibus precibus tantum abest, vt refragaretur Senatus benignitas, vt & haud grauate subscriberet, & quicquid erat ad salutem scholæ excogitatum, id ratum haberet, & grauissima, qua pollet, auctoritate confirmaret. Illo igitur ἐργασίῳ, hoc causæ patrono, satis pro instituto spatiosa superioris contignationis regio dedicata est, in qua honestissimi propositi partus ederetur. Totum hoc negotium absolutum & ad exitum perductum est anno P. R. S. MDCCXV, cum mense Junio partim ex præcedentibus collectis quicquid aderat, partim HELWIGIANÆ & LUDOLPHORUM fratrum recentes symbolæ, imprimis autem TIEFFENBACHIANUM vberimum congiarium in dispositos pluteos inferretur. Neque id satis habuit viri amplissimi proluxa erga Leucophæum nostrum voluntas, (*) sed ex eo tempore nullum temere

(*) Quid? quod illum etiam viri spectata virtus addidit tanquam cumulum benignitatis, vt haud exiguæ summæ sortem constitueret, cuius vsuræ binorum collegarum, penes quos cura Bibliothecæ est, operam & laborem consolarentur. cuius me beneficii fructum vndecima iam vice percepisse gratus recorder.

mere annum præterlabi passa est, quin nouas aliquas scriptorum cohortes, tanquam in supplementum, submiserit, aut de suis copiis decerptas, aut rogatu eius ab aliis huc allegatas. Ita non sine præcipua eius opera factum est, vt ex sectione *PORSTIANA*; nec sine impensa eius singulari, vt ex *SLVTERIANA* auctione supellex nostra multis optimæ notæ libris augetur illustrareturque. Neque parum videtur eiusdem exemplum & sollicitatio apud excellentissimum virum, *CHRISTIANVM GRABIVM*, Consiliarium Regis intimum, valuisse, cui tantum debet Bibliotheca nostra, quantum haud scio an nemini (*) Eius enim legato plus quam octingenta ad nos volumina peruenerunt, iique

(*) Libri, qui ex Grabiano legato in nostra armaria relati sunt, vel ex *D. MART. SYLVESTRI GRABE*, parentis, viri litteratissime docti, hereditate ad eum peruenerunt, vel a beato possessore ære sunt comparati. Illorum maximus est numerus, iique id habent plerique omnes, vt manu pristini domini passim insigniantur. Fuit enim in vsu viro incredibili industria, & legendi commentandique assiduitate nunquam fracto, lectis a se libris (legit autem perlegitque omnes) allinere animaduersiuiculas, e quibus vis ingenii, varietas doctrinæ, & omnis historix memoria ita elucet, vt in oculos incurrat. Plane adeo mihi ad *DES. ERASMI* palatum factus fuisse videtur, qui *LIB. XXXI. epist. 29. edit. Lond.* *Non hi mihi, inquit, libros amare videntur, qui eos intactos ac scriniis abditos seruant, sed qui nocturna iuxta ac diurna contrectatione sordidant, corrugant, conterunt, qui margines passim notulis, hisque variis, oblinunt, qui mendii rasi vestigium, quam mendosam compositionem malunt.* Has itaque Grabianas obseruationes si quis tunc, quum integra & indelibata adhuc esset bibliotheca, colligere & in summam redigere voluisset, profecto sine negotio modicum florum corpusculum adornari potuisset, *Ducatiensis* similibusque *anzhologiis* haud quaquam supplicaturum. Vidit hoc iam pridem & laudauit institutum *M. LILIENTHALIUS*, cuius ea de re verba ex *Selectis histor. litter. P. I. p. 163.* repetere vel eo non piget, quod & ad Grabiani commendationem nominis vnice sunt comparata, & Bibliothecæ eius, cuius pars inserta nostræ est, fata luculente

eaque in historicis, politicis, plausibilibusque aliis argumentis fere versantia. Neque postremum in iis locum tenent Scripta IO. ERN. GRABII, fratris maioris, viri, eruditionis fama, illustratisque antiquæ Ecclesiæ monumentis, per vniuersum orbem christia-

lente exponunt. *Grabianorum*, inquit vir doctissimus, titulo appellare quid vetat notas doctissimas, quas libris bibliothecæ suæ quondam adscripsit Theologus ac Polyhistor egregius, D. MARTINUS SYLVESTER GRABE, Prof. primum Theologiæ Academiæ Regiomontanæ & Bibliothecarius Elect. deinceps Superintendens in Pomerania Brandenburgica Generalis, qui Colbergæ A. 1686. d. 23. Nov. obiit, magnorum in Rep. litteraria filiorum dignissimus parens. Heluo librorum erat ὁ πᾶν GRABIVS, quorum rarissimos pariter ac selectissimos in variis peregrinationibus apud externos non conquisuerat modo, sed & stationi quietæ admotus sedulo perlegerat. Stupenda mihi semper visa est viri incomparabilis in peruestigandis auctoribus tam veteribus, quam recentioribus, tam sacris & ecclesiasticis, quam profanis, diligentia. Præterquam enim, quod iudicia eruditorum varia & editiones variantes cuiuslibet librorum suorum in frontispicio præmisserit, singulaque foliorum errata ipse correxerit; innumera etiam in ipso textu vel obscure, vel falso dicta explicauit, emendauit, castigauit, & remittendo ad alios auctores auxit. Sed quæ Bibliothecarum sunt fata, dispersita inter heredes fuit Bibliotheca hæc insignis ad sex millia voluminum sese porrigens; magna etiam eius portio auctoris lege fuit diuendita, reliqua hinc inde distracta; pars quoque illius a filio Cl. IO. ERNESTO GRABE, Prussici nominis immortalis apud externos decore, in Angliam deportata. Vtinam vero quis ex illis libris, qui Regiomonti adhuc supersunt, & in Bibliothecis tam publicis quam priuatis, ut singulare cimelium asseruantur, colligeret iudicia ista librorum frontispicii præmissa, imprimis vero notas manu B. viri illis adscriptas, ac publici iuris eas faceret. Sic enim palam fieret, idem de illis ferendum esse iudicium, quod de libris notis MSTRIS SALMASII, HEINSII, SCALIGERI, CASAUBONI aliorumque Criticorum illustratis tulerunt MORHOFFIUS Polyhist. Tom. I. lib. I. c. VII. §. 35. & J. FR. REIMMANNUS, obsero. de libris raris Tom. X. obs. Hal. obs. VII. §. 12. p. 201. sqq.

B

christianum celeberrimi, quorum pars pleraque iam multis ab annis in censum rariorum librorum a doctis referuntur. (*) His itaque profecta initiis, his aucta incrementis, his accessionibus cumulata, eo processit mediocritatis, vt iam tandem tueri nomen Bibliothecæ scholasticæ posse videatur. Theologia enim hic vltra D. numerat libros; Iuris prudentia quasi ad DC. Artis salutaris tenuissimus est prouentus, ac pæne nullus. Tanto; vero locupletiores sunt litteræ, quæ humanitatis denominatione

(*) Equidem optandum esset, vt nihil Grabianorum Scriptorum a nobis requiretetur! ita enim haberet Bibliotheca nostra, quare se ambitiosius circumspectaret. Nunc factum est, nescio quo fato, vt hac felicitate destituamur, etiamsi ad CHRISTIANUM fratrem, quem mira caritate amplectebatur, sine dubio ab auctore omnia sint missa. Qui vero sint Grabiani ingenii industriaeque foetus, ex recensione cognosci potest, quam *Actorum Borussicorum* collectio-ribus debemus *Tom. I. fasc. I. p. 25. sqq.* Longe autem plures ob præmaturum viri obitum ad maturitatem, aut lucis publicæ profecto vsuram, non peruenerunt. In his *Historia Ecclesiastica* est, quam Regiomonte sæpius prælegit, & ab elegantiore manu duobus voluminibus quadruplicatae formæ descriptam, ipsaque auctoris manu passim illustratam, & indice instructam possidemus. Reliqua, quæ vel inchoata, vel affecta etiam, ac pæne perfecta reliquit, apud summos in Anglia doctissimosque viros, D. IO. POTERUM & D. GEO. HICKESIUM, testamentariis deposuit tabellis. Epistolæ doctorum virorum ad illum datæ in manibus sunt Clarissimi Gotingensis Academiae Theologi, MAGNI CRUSII, qui eas publicare minatus est in *Dissertat. Epistol. ad CHRIST. WORMIUM pag. 39.* Idem Continuationem *Spicilegii Patrum* a J. E. GRABIO, inchoati primis lineis deformatam benigne pollicitus est *p. 12. f.* Ab hoc eodem Vitam & Fata huius GRABII copiosius descripta expectamus, ibidem loci promissa. Interea desiderium nostrum iis consolemur memoriis oportet, quas *Acta Borussica* l. c. suppeditant. ad quas conferendæ *Ephemerides litterariæ Anni MDCCXV. tomò sexto pag. 133. sq. add. IO. FABRICII Histor. Biblioth. suæ P. VI. p. 167.* qui plures laudat.

tione se efferunt, quarum in numero cum historicos tum philosophicos ponere libros non dubitamus. Horum enim habemus circiter mille & quadringentos. Quod si quis in ea versatur persuasione, permultos in hac congerie inueniri libros, qui ægre ordinem defendunt suum, hunc ego abundare suo sensu facile patiar, dummodo cogitet, in ipso cælo diuersissimi ordinis stellas esse, innumerabilesque, quæ præ luminis tenuitate oculos fallunt, cum pauca sint modo lætiore nos vultu intuentes, singulæque capellæ, arcturi, caniculæ & ceteræ, quæ familias ducunt. Rursus autem negari non potest, esse & hic libros, qui locum in orchestra occupare, & inuidiam facere vel beatissimis Bibliothecis possunt. Equidem superuacaneum esse arbitror, longum texere catalogum, & maximos, minimos, medioximos in medium adferre: Verum tamen ab instituto meo non videtur esse alienum, vel eos tribus verbis attingere, qui raritate se, vel alia quadam dignitatis nota, præter ceteros commendant. In quibus breuiter strictimque percensendis nullum vehementer ordinem seruabo, nisi magnitudinis ac formæ, a Bibliorum enumeratione orsurus. Nec enim solum post VINARIENSIA illa, quæ vocant, Norimbergæ 1649. impressa, splendoris plena, QVADRLINGVIA opera & studio DAV. WOLDERI (*) & ELIÆ HVTERI *Hamb.* 1596. satis pro tempore magnifice exscripta III. Voll. comprehensa occurrunt: sed adsunt etiam *Biblia Dudesch. Dat erste Deel* &c. 1520. (**). it. *Biblia Tu ie, vse Sucto Pismo Stariga inu*

(*) De hoc opere Woldero-Huteriano adiri meretur S. R. WOLFFIUS in *Biblioth. Hebr. Tom. II. p. 344. sqq.*

(**) A copiosiore huius operis biblici rarissimi descriptione eo me libentius abstineo, quo præclarius iam ea opera defunctus est Vir CL. a SEELEN, in *Selectis litter. p. 598. sqq.* Vnum alterumque exempli gratia decerpere locum, non abs re erit. Sic *Exod. XVIII. v. 21. Vnd sette vth den Tribunos Centuriones quinquagenarios. c. XX. 5. 6. Ick byn dyn Here God starck vnd eyn Leesbeber, vifsyrende de Bofsbeyt der Vedere in den Sönen, yn de drüdde vnd yn de veerde*

inu Noviga Testamenta Slovenski tolmazbena skusi Juria Dalmatina, d. i. Die ganze heilige Schrift, Windisch. Wittenb. durch Hans Kraffts Erben. 1584. () Nouum Testamentum iam quintum accuratissime-*

veerde Ghehort der de my ghehatet hebben, vnd byn dor de Barmher-
ticheyt yn düssen, derienne de my leef hebben. Du en schalt dynes
Heren Godes Name nicht vergheues yn dynen Munt nemen, wente
de Here heft ön nicht entschuldich, de synes Godes Namen ydeluycken
tho sick nympt. v. 14. Du en schalt nicht vnkeüsch syn. Job. I. v. 28.
Dyffe Dyng scheyen yn Bethania, ouer de Jordane, dar Johannes
was dopende. 1. Cor. XV. 33. Nicht schole gy verleidet werden, wente
de bosen Spracke tobrecken de guden Sede.

(*) De Bibliis his, quæ rarissimis apud nos libris adnumerantur, hæc
fortasse adnotare bona cum lectoris venia licebit. 1.) Hæc versio
ad fidem & normam germanicæ Lutheri exacta est, qua de adeo
præclare monetur, & ex vero, in Præfat.: *Durch das sel. Werckzeug
D. M. Lutherum ist nicht allein die deutsche Sprache mit dem reinen
Wort Gottes, sondern auch das Wort Gottes mit der Sprache in ei-
nen Aufgang kommen, besonders durch die wohlverdeutschte Bibel,
welche einige des Luthers Tolmetschung alle in Gott gelarte und recht
verständige auch für einen Commentarium halten, in Erwegung, daß
dieselbe mit dem Hebräischn und Griechischn Text so eigentlich und
so wol übereinstimmet, daß auch die gelehrten Juden selbst ohne ihren
Danck diesem Kundschafft und Zeugniß geben müssen.* 2.) Auctor
versionis & editionis huius est GEORG. DALMATINVS, sacro-
rum emendationum inter Carniolanos minister, ante quem PRI-
MVS TRVBERS indidem ortus, ab eruditis Doctor Slauonicus
натъ ѣкъъъ appellatus, foederis noui tabulas & Psalms in popularem
linguam conuerterat. Quo de TRVBERO legere iuuabit DAN.
CZVITTINGERI *Hungarian litteratam pag. 389. sqq.* nec non
CHRIST. AVG. SALIGII *Historiam Aug. Conf. Tom. I. pag. 714. sqq.*
3.) Nec Cyrilicis, nec Glagoliticis litteris exarata sunt hæc Biblia,
quibus omnis antea Slauorum natio utebatur, sed latinis, quarum
vfum, quod incredibile omnibus est visum, PRIMVS TRVBERS
princeps omnium linguæ Vandalicæ accommodauit. 4.) Summa
octies millenorum aureorum numorum in hoc diuinum opus ero-
gata

ratissima cura recognitam a DES. ERASMO, Rot. cum annotatt. eiusdem, Basil. ap. Froben. 1535. (*) IOH. DRACONITÆ *Prouerbia Salomonis pentapla cum scholiis*, Witteb. 1564 f. *Ej. Zacharias, Micheas & Joel propheta*. 1565. (**) *Josua Imperatoris Historia illustrata atque explicata ab AND. MASIO*, Antwerp. ap. Plantin, 1573. (***) *Biblia germanico-latina*, Witteb. 1574. 4. Voll. 8. (****) SAM. BOCHARTI *Opera omnia*. Lugd. Bat. 1692.

gata est, sex autem exemplaria magnifice vestita ab ordinibus Carniolanis Principi Electori Saxonæ, cui grati animi significationem pro meritis exhibere volebant, oblata esse leguntur. Reliqua præterea, quæ repeti ab harum rerum cupidis possunt ex VALVASORIS *Topographisch Historischer Beschreibung des Herzogthums Crain Tom. II. lib. VII. c. 8. fol. 430. sqq.* Vnde SALIGIVS eo, quem ante laudauimus, loco plura cognitu digniora decerpit.

(*) Inter quinas N. T. editiones, quæ viuo & superante ERASMO prodire, hæc est nouissima & maxime correctæ, de quibus omnibus præstat tacere, quam pauca dicere. Illud generatim de versione Erasminiana notare liceat, quod FRANC. SANCTIVS *Minerv. p. m. 500.* deturpatæ per τὸ *Quod particula improbiorem vsum latinitatis culpam in eam confert.* En tibi eius verba: *Hæc, inquit, particula etiam in sacræ theologiæ commentarios & latinæ versiones ita impetum fecit, vt peritissimos alioqui viros in summum barbarie barathrum detruserit. Quo magis irascor ERASMO ROTERODAMO, qui, quum in latinam linguam Novum Test. vertere tentauerit, hanc pestem, quæ linguam latinam pessum dedit, nescierit aut non potuerit euitare. Sæpe enim repetit, dico, quod: aut, dixi vobis, quod ego sum.*

(**) De Pentaplis DRACONITÆ, opere manco atque inchoato, quid sentiat Theologus de Bibliis sacris multis nominibus meritissimus G. G. ZELTNERVS, nuper cælitibus adscriptus, in notis ad *Dissert. de nouis Bibliorum versionibus germ.* ostendit p. 130. sq.

(***) Intolerabilis esset primæ huius editionis raritas, nisi CRITICI ANGLICANI, qui in Tom. II. recudendum curarunt librum, fecissent, vt minus illa desideraretur.

(****) Ex luculentiore præfatione discere licet, 1.) opera iuncta GEORGI

1692, Voll. 2. IOH. LIGHTFOOTI *Opera omnia*, Roter. 1686.
 Voll. 2. (*) CLAVDII ESPENCÆI *Opera omnia* a D. GILB.
 GENEBRARDO in lucem edita, Lutet. Parif. 1619. (**)
 RAYM. MARTINI *Pugio fidei*, Parif. 1651. AVGVSTINVS de *Civitate*
Dei cum Commentariis, 1490. (***) HIERONYMI *Epistola*
 1497. Tomi III. Basil. ap. Nicol Kesler. BERNARDI, abbatis
Clarevall. Sermones de tempore, de Sanctis &c. Parif. ap. Johannem
 Par-

ORGII MAIORIS, P. CRELLII & P. EBERI, Theologorum Wittenb. opus hoc susceptum & consummatum esse. 2.) Bibliorum opus Complutense FRANC. XIMENIO ultra LXX. millia aureorum Vngaricorum constitisse.

(*) BOCHARTI ac LIGHTFOOTI opera iuxta cum multis aliis libris liberalitati egregii viri, IOH. CHRIST. SCHRADERI, accepta referimus, qui, pro inusitata Zornianæ domus erga Gymnasium nostrum munificentia, ex supellectile libraria beati PORSTII, Socii sui, hæc monumenta huc delegavit.

(**) Liber hic rarissimus est VOGTIO, BVDDEO autem memorabilis ob amplissimas digressiones, in quibus de variis disciplinæ ecclesiasticæ capitibus copiose & erudite differit. *Isagoges pag. 1718.* Oratio illius A. D. 1541. habita de *Liliis Francicis* super verba Matth. VI. Luc. XII. *Considerate lilia, quomodo crescunt*, vna cum Præfatione copiosa, quod *Principem litteræ tam sacræ quam humanæ deceant* quam ANCILLONIVS Præfat. ad vitam Solimanni rarissimam vocat, extat hic pag. 933. sqq.

(***) Commentaria hæc THOMÆ sunt VALOIS & NIC. TRIVETH, sacræ paginæ professorum ordinis Prædicantium. quos si commentatores dixeris procommentatoribus, propius a vero aberraveris. Meræ enim hic regnant imperitiæ & inficeti seculi manifestæ notæ. Factum proinde bene a J. LVD. VIVE, quod purgarit doctissimos Hipponensis Episcopi libros inquinamenti, cum Erasino suo amore & auctore illustrandis iis doctæ mentis opes impenderet. Idem vero plenus vir iudicii quantum ingenio valeret, statim a limine operis ostendit, cum VALESII & THEVETI nostri insipientiam tam multo sale conspersit, ut nihil illa scriptione meminere legere festivi.

Parvum, 1513. (*) TH. AQVINATIS *prima pars*, Venetiis per Antonium de Strata. 1484. *Ej. Liber de veritate catholica fidei, contra errores gentium*. Venet. ap. Nicol. Jenfon, 1480. (**)
 Secunda Pars IOAN. GERSONIS, de iis ferme rebus, quæ ad mores spectant, Basil. 1518. *Rationale diuinorum officiorum*, Argentinæ 1486. (***) *Gesta Romanorum* s. *Historia notabiles de vitiis virtutibusque tractantes cum applicationibus moralisatis & mysticis*, 1499 (****) Cui adglutinata est *Expositio compendiosa sensus*

(*) Non exiguam corporis huius partem Epistolæ BERNARDI constituunt, numero CCCLI, quæ quia ad cognitionem multorum virorum ea ætate celeberrimorum fores aperiunt, in primis autem Philosophiæ ABÆLARDI lucem adfundunt, optandum esset utique, vt separatim ea, vt & multorum medii ævi scriptorum, litteræ in gratiam eruditorum tam voluminosi operibus destitutorum, ederentur. De reliquo memorabilis est epistolarum prima, miraculo, si Deo placet, insignita.

(**) Optimum hunc AQVINATIS librum esse, si vel maxime CRENIVS *exercit. I. de libris script. optimis* pag. 7. non iudicasset, nemo tamen, qui paullo in censendis Scriptoribus est perspicacior, facile inficiaretur. Hinc merito illi pridem NAVDÆVS principatum in hoc genere librorum tribuit. Neque ab ea sententia abiit J. A. FABRICIVS, qui in *Tr. de verit. relig. christ. Scriptoribus* pag. 270-274. summa rerum capita contentarum persequitur, & libri historiam condit. Est verò hæc editio, si a Romana anni 1476. re-cesseris, omnium prima.

(***) Hunc librum, pontificiarum nugarum promum condum, PHIL. MARNIX in *Apiario* Part. II. c. 19. pag. 253. edit. noviss. ita ornatum pexumque dedit, vt omnes vrbanitatis lecythos, quibus nemo vixit illo conditor, in eo profundere voluisse videatur.

(****) Miscentur hic profana sacris, commentitia veris, quadrata rotundis. Retinendi studii lectorum ergo exempli causa transcribere particulam aliquam huc volui, præsertim cum ad theologiæ pristinæ cognoscendas sordes haud aliæ illorum temporum reliquiæ plus habeant efficacitatis. Sed hoc agenti manus iniicit
 SCHEL-

sensus familiaris & mystici Psalmorum PELBARTI de THE-
MESWAR. Ej, *Sermones Pomerii & Quadragesimales*, 1507. (*)
Sectarum errorum ballutationum & schismatum Anacephaleosis,
Francof. 1528. (**) *Das verbütschert mit siben Sigeln verschlof-*
sene Buch von SEBAST. FRANCKEN. 1559. Pforzheim bey
Georg

SCHELHORNIVS, quem in *Amœnitt. histor. eccles. & litt. Part. I.*
p. 796. sqq. inter librorum rariorum decadem primam hunc librum
retulisse deprehendo. Qui cum copiose allatisque exemplis pluri-
mis illum enarret, ad fontem hunc amœnitatum inexhaustum ab-
legare lectorem malim, quam delibatis in hac festinatione mea gut-
tis sollicitare sitim, non restinguere.

(*) De PELBARTO, Temesuariensi Hungaro, pluribus agit DAN.
CZWITTINGERVS in *Hungar. litter. p. 301.*

(**) CONR. WIMPINA constantissimus Lutheri inimicus, Tezeliana-
rumque nundinarum patronus, vir pro ea ætate sane non indoctus,
neque impolitus in scribendo, primus Academiae Francofurtanæ
Rector, cuius adeo & imaginem affabre factam, intueri & dignitates
perdiscere licet in J. C. BECKMANNI *Notitia Vniuersitatis Fran-*
cofurtanæ. Plura autem de eo in *Lipsia litterata* traditurum se,
fidem dedit IOH. IAC. VOGEL, in *Vita TEZELII p. 43.* Si ve-
ro WIMPINA, partium studio abreptus, in caussa Reformationis
plusculum interdum indulsit stomacho, in eo certe falsus non est,
quod de ætatis suæ Scriptoribus hunc in modum pronuntiat: *Hac*
nostra, inquit, tempestate velut sacramento in id adacti, quot quot scri-
bunt, aut calamum agitant, derepente in iniurias, contumelias, deli-
ria & affanias prorunt, adeo, et non iam requiratur inter Scripto-
res, vter verius aduersus scripserit, sed vter crudius alterius famam
incepsat, aut diriores satyram cudad. Prolegom. lib. VII. *adu. sectar.*
Quod quidem cacoethes vtinam ad eos tantummodo pertineret,
qui vetulæ tunc superstitionis hyperaspistæ fuerunt, nec melioris
etiam causæ propugnatores interdum afflavisset! Nunc intra Ili-
acos muros, cheu! peccabatur & extra. Ipsi civilium rerum admi-
nistri quam sæpe ciuilitatis oblitum sunt? Videat mihi quisquam
scripta inter Saxonæ-Hassæque Principes, & inter HENRICVM
iun. ducem Brunsvicensem vltro citroque missa, & ad ipsas inferi-

ptio-

Georg Raben. (*) OECOLAMPADII & ZWINGLIJ *Epistola*. Basil. 1532. (**) Hos fere ex primo ordine librorum theologorum nominare visum est. Ex forma illi proxima retinere studium alicuius queant FRANC. GEORGI VENETI *in Scripturam sacram Problemata*, Paris. 1574. (***) ÆNEÆ SILVII *Episto-*

ptiones contumeliosissimis verbis venenatas, si quis paulo est humanior, perhorrescet. Quorum quoniam summa hodie est raritas, alio fortasse loco notitia iuppeditabitur.

(*) Infrequentes esse huius viri libros, hunc autem mysticæ theologiæ amatoribus commendatissimum, obseruat STOLLIVS in *Notitia Biblioth. sue*, p. 98. *Sqq.* vbi non indiligenter de scriptis eius agit. Missis erroribus pluribus, qui viuo etiam dum impacti fuerent, Indifferentissimi saltem a WERNSDORFFIO nomini eius iniusti, absoluerunt eum non ausim.

(**) His Epistolis nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent cum notitiæ clarorum circa Reformationis primordia virorum, tum controuersiarum inter Theologos tunc agitarum. Inprimis autem hoc vtile in iis & fructuosum, quod Catabaptistarum tunc propullulantes errores & exponantur cordate, & solide confutentur. Dolendum ergo est, rarissimam dari harum Epistolarum copiam, etiam si Basileæ 1591. 4. recusa esse dicantur. vid. SCHUZII *Vita CHYTRÆI lib. IV. p. 137.* Haud scio, an memoratu sit dignum, quod in præfatione, qua THEOD. BIBLIANDER tribus principibus volumen hoc dedicauit, cum in eo esset, vt in cælum tolleret laudibus heroas, eos *violentiæ apertum asyllum* appelleret, cum *Innocentiæ* dicere haud dubie voluisset. Hoc mihi legenti in mentem venit sphalmatis, vel potius pseusmatis illius, quod veterator quispiam in officina Frobeniana excusor in ERASMI *Vindam* nequiter dicitur intrussisse, quo de multus est S. S. in *fascic. III. Designationis libror. rar.*

(***) Rariorem esse hunc GEORGI VENETI factum, vel inde conicio, quod in copiosis bibliothecis frustra quæritur: ab atheis autem prope abesse eum suspicione, si viderint, qui augere tribus istorum hominum, coacta etiam sæpe interpretatione dictorum, malunt,

malunt, quam quæ incaute iacta sunt, æqui boniq. consulere. Ego quidem maioris æstimo, vnum virum doctum tam incredibilis insanix suspectum rationi vindicare, & cum sanctiore cœtu in gratiam reducere, quam plures argumentatiunculis in speciem argutis ad deteriores partem, obtorto quasi collo, pertrahere. Ea, quæ sinisteriorem admittere sensum in Georgianis Problematis videntur, & scrupulum mouere morosioribus possunt, Cabbalistica sunt somnia, Pythagorico-Platonice pasta tricus, quibus eum ultra modum fuisse deditum, famosissimus eius de *Harmonia mundi* docet liber, quo de IAC. BRUCKERI *Histor. Philos. Tom. VI. p. 573. sqq.* conferri meretur. Quid iniquius autem fuerit, quam ex iis, quæ nec verbis aperta, & occulta sensu sunt, de vita & fide doctorum virorum pronuntiare sententiam? Contemnas tutius, quam condempnes tam tenebrosæ sapientix initiatos vertigine, qui crepant

*Democritas, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
 Quicquid & hirsutis squallet imaginibus.*

Cæterum vt causæ nihil dicimus, quin in terna problematum chiliade (tot enim quæstiones tractauit) multa esse arguantur ab opinione populari discrepantia: ita non est negandum, egregie multa aliisque intacta, ac inuisa, ab auctore esse obseruata. In his autem enodandis nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum, sed minutis interrogatiunculis & quasi punctis, quod proposuit, efficere conatur. Fuit alius GEORGIUS VENETUS, Pomezaniensis ad postremum episcopus, anno 1575. (secus ac cum FREHERO SCHUZIUS in *Vita Chytræi*, & *Lexicon Erudit. tradit*) defunctus, qui cum italo nostro non est permutandus.

(*) Primam omnium hanc esse Epistolarum SILVII editionem, obseruauit suo more in fronte libri vir beatus M. S. GRABIUS. sed in eo quidem frustrata virum industria est. GESNERUS enim non solum editionis Norimbergenfis, in folio anni 1481. facit mentionem in *Bibliotheca* p. 8. b. sed SCHELHORNIUS etiam aliam possidet sine vlllo loci aut anni indicio exscriptam, quam ille ceteris ætate superiorem esse censet. Mixtæ sunt his Epistolis plures etiam dissertationes, orationesque & dialogi, in quibus illum sero non

& *Epistola*, Florent. per hered. Phil. Juntæ 1524. (*) *Postilla maioris in Epistolas & Evangelia per totius anni decursum*, circa annum 1500. Volumina aliquot in quibus *Autographa*, quæ vocantur,

non piguit solum, sed etiam puduit narrationis, quam de *Euryali & Lucretie amoribus* licentius, quam grauitas viri postulabat, in MARIANI SOCINI gratiam composuit. Ea deinceps res hanc illi in epist. CCCCIX. vocem expressit; *ÆNEAM reuicite, PIUM suscipite*. Quod si in tanta Epistolarum multitudine (CCCCXXXIII. enim numerantur) grauiore alia, alia leuiore esse solent, ego non dubito, quin CCCCX, qua MAHVME TEM II. mox post Constantinopolin captam, ad Christiana sacra amplectenda, omnibus adhibitis machinis, permonere conatur, primam omnium ponam. (*) Est hæc prima & absolutissima Longolianorum opusculorum farago publicata, per REGINALDUM POLUM sine dubitatione curata. Exulat autem ex illa oratio LONGVOLII de *Laudibus D. LUDOVICI, Francorum Regis*, habita Pictauii in cœnobio Frat. min. anno 1510. Paris. ap. HENR. STEPHANUM excusa, cuius ingens olim fuit, ac etiamnum esset raritas, nisi DUCHESNE eam in *Historiæ Francorum Scriptoribus* Tom. V. pag. 500-515. publico eruditorum vsui reposuisset. Ista vero oratio illi, in ciuitatem romanam a LEONE X. postmodum adscripto, ingentem conflauit inuidiæ tempestatem. ex ea enim a CELSO MELLINO, homine prænobili, maiestatis postulatus est. Hinc duæ illæ *apologetice orationes* natæ sunt, quæ in hac collectione primo extant loco. Has excipit tertia ad LUTHERI *causam denigrandam* comparata. Quinque tales parturiuerat, sed quatuor subsecuturas præmatura mors nascentes iugulauit. Notata mihi varia ad hanc in mundo sunt, sed hic non capit locus. Vnum monere abs re non est, LONGOLIUM hanc pugnam LEONIS X. imperatu, auspiciis vero BEMBI Card. suscepisse. Suo enim vti illi licuisset iudicio, nescio an LUTHERI partes præoptasset. Liqueat hoc ex lib. II. epistola ad FLAMINIUM & STEPHANUM SAULUM, itemq. alia ad BEMBUM. nec amicitia aut potius familiaritas, quæ illi cum M. ANT. FLAMINIO & REGINALDO POLO intercessit, id non persuadet. Hæc Scripta unice omnibus probata in animaduersionem incur-

cantur, LVLHERI, MELANCHTHONIS, HVTTENI, SAVANAROLÆ, REVCHLINI, WESSELI, OECOLAMPADII, ZWINGLIJ, CVELSAMERI, VALLÆ, CAROLOSTADII, ERASMI, MOSELLANI, LATOMI, IACOBI, RHENANI, nec pauca, & plurimam partem rarissima. (*) Conciones funebres. (**)

Sed hos quidem nominatim tetigisse libros fati esto: ceteros, in quibus etiam non paullo nobiliores, cum maxime tacebo. Restat, vt id agam, cuius indicendæ rei hanc præfandi prouinciam aggressus sum. Natalis Gymnasij nostri CLXIV^{us}, quem

runt ERASMI, cuius *Ciceronianus*, diffimulanter quidem, sed tamen in vnum LONGOLIUM, quem peteret, emissus est. Quo facto STEPH. DOLETUS rarissimum illum de *Imitatione Ciceroniana aduersus Des. Eras. pro Christ. Longolio* apud SEB. GRYPHIUM. 1535. in 4. edidit. Dialogum. Plura nec scitu iniucunda de his Epistolis vitæq. Longolianæ auctore tradit Cl. BEYSCHLAGIUS in *Sylloges* Tom. I.

- (*) Horum omnium enarratione hic supersedeo, quod, si vel paucissima de singulis afferrentur, susceptæ commentationis terminos excedere cogeret.
- (*) Nulla res minus Bibliothecæ nostræ deest, quam Conciones funebres. Harum enim non spissamodo volumina adsunt, sed etiam singularum ingens multitudo. *Tabularium* hoc nomine *originum* licet dicas pluteos nostros, quas consulere oportet eos, qui aut clarorum virorum natales, aut maiorum propagines velint cognoscere. Ex primi enim Collectoris instituto non tam orationes illæ, quæ super certo verborum sacrorum ambitu in funeribus indictiuis haberi solent, spectatæ sunt; (quanquam nec illæ in paribus casibus suo vsu destituuntur) quam vitæ defunctorum, & gentilitiæ stirpes & affinitates familiarum. Atqui tales olim notitiæ utramque fecere in his scriptionibus paginam. Hodie fere sterileseunt, aut celeri omnia transcursu narrantur. Vnde fit, vt in dies euadant nobis istæ conciones, nullo hystoriarum comitata stipatæ, minus fructuosæ.

quem faustum atque fortunatum Deus esse iubeat, anniuer-
 rium a nobis exigit honorem. Hunc die crastini habendis ora-
 tionibus huic tempori accommodatis alumni quidam discipli-
 nae nostrae celebrare constituerunt. Cum vero parum praesi-
 dii ad eum scopum obtinendum in se situm esse videant, MÆ-
 CENATES PATRONOS, FAUTORESQUE litterarum om-
 nes ac singulos obseruantissime iuxta mecum rogant, vt gratifi-
 cari nobis praesentiam suam audientiamque ad breue tempus non
 dedignentur. Ita & animus addetur oratoribus minus in hac
 palaestra exercitatis, & sua diei sollempnitas rite constabit. Ecce
 autem vobis ordinem, quo ad orandum pro-
 dibunt nostri.

(I.)

Job. Henr. GRASHOFF, *Berol.* Prologi vice fungi-
 tur, *orat. germ.*

Job. Frid. LESSER, *Pilarvio-Borussus*, varias politicæ
 doctrinae addiscendæ vias *carmine germ.* profe-
 quitur.

Job. Gottfr. GRVNOW, *Berol.* } de facie eruditionis
Job. Ludov. DITERICH, *Berol.* } per philosophiam
 hodiernam renouata *latine* dicunt.

(II.)

(II.)

Car. Sigm. HAVSHERR, *Lufatus*, Politicorum viro-
rum egregia ac varia in ludos litterarios meri-
ta *latina orat.* decorat.

Franc. Jac. SCHVLER, *Berol.* } Diuerfos de scholis
Job. Mart. STIEGLER, *Berol.* } publicis bene me-
Jo. Georgius VOGT, *Berol.* } rendi modos *oratum-*
Jo. Frid. HACKE, *Berol.* } *culis vernaculis* exor-
nant.

Jo. Paulus HABERLANDT, *Berol.* Officia erudito-
rum aduersus Mæcenates *latina orat.* designat.

(III.)

Jo. Joach. SCHVLZE, *Berol.* CHRISTIANO GRA-
BIO, *b. m.* ob collatum in scholam nostram in-
signe beneficium laudis adorea impertit, *oratio-*
ne lat.

Christ. Sigm. RVCKER, *Berol.* GRABIANOS manes
oda veneratur *vernacula.*

(III.)

Geo. Frid. ECKSTEIN, *Berol.* Vnius ex magistri di-
sciplina melius profici contendit, quam ex mul-
torum, *orat. lat.*

Joach. Christ. REINBECK, *Berol.* Pluribus operam
dare

dare magistris, magis in rem esse discendi cupidis *oratione vernacula* evincit.

(V.)

Jac. Frid. ROLOFF, *Berol.* DAN. HOFFMANNI,
Theologi, cum Philosophis Helmstad. de rationis usu & pretio controuersiam bona fide *orat. lat.* dispungit.

Gottlieb KOSSE, *Berol.* Infrunitæ de mundo hoc non optimo opinioni iusta perfoluit *carmine germanico.*

Geo. Christ. Vvilb. BVTOW, *Francofurto-March.* Gratiis auditorio reverenter actis, exercitationi coronidem imponit.

DABAM E LEVCOPHÆO A. D. DECEMBR.
A. R. S. MDCCXXXVIII,



Qk Tra 74

1078

X 316 4258 (V)


[Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including names like ROLOFF, KOSSE, and WITOW.]

DANK-ERKLÄRUNG A. D. DECEMBER
A. R. S. MDCCXXVIII



[Small handwritten mark or initials at the bottom right corner.]





Qu. 528, 28.

B. m.

IIa
74

DE
INITIIS INCREMENTIS ET
STATV HODIERNO BIBLIOTHECÆ
SCHOLASTICÆ IN GYMNASIO BEROLINENSI
DEDICATÆ SCHEDIVM PRÆMITTIT

ET AD
ACTVM ORATORIVM
CELEBRANDI NATALIS
CLXIV.

GYMNASII ILLIVS

A. D. DECEMBR. MDCCXXXVIII.
AB HORA POST OCTAVAM DIMIDIA
INSTITVENDVM

*PATRONOS MÆCENATES FAVTO.
RES ET AMICOS LITTERARVM QVOSLIBET
DECENTER INVITAT*

MART. GEORGIVS CHRISTGAVIVS
ANSPACENSIS.



BEROLINI,
LITERIS RUDIGERIANIS

